

Disputatio medica inauguralis, quaedam de apoplexia sanguinea complectens / [John Hodges].

Contributors

Hodges, John, Dr.

Publication/Creation

Edinburgh : J. Ballantyne, 1814.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n5cks4ma>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

9

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM DE
APOPLEXIA SANGUINEA
COMPLECTENS:

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NEC NON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JOANNES HODGES,
Ex Insula Jamaica,
SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC.

Si quis coloratior et speciosior sit, sua bona suspecta habere debet.

CELSUS.

Die VIII. ante Kal. Sept. hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCIJ.

MDCCCXIV.

DISPUTATIO MEDICA

IN AUCTORITATE

QUADAM DE

POPLEXIA SANGUINEA

CAUSIS ET COMPLETENS

QUAM

D. GEORGI BAIRD, M.D.

ACADEMIAE MEDICAE EDINBURGENSIS

PROFESSORIS PUBLICI

PRAESENTIA

ACADEMIAE MEDICAE EDINBURGENSIS

PROFESSORIS PUBLICI

ACADEMIAE MEDICAE EDINBURGENSIS

PROFESSORIS PUBLICI

ACADEMIAE MEDICAE EDINBURGENSIS

PROFESSORIS PUBLICI

ACADEMIAE MEDICAE EDINBURGENSIS

PROFESSORIS PUBLICI

ACADEMIAE MEDICAE EDINBURGENSIS

PROFESSORIS PUBLICI

ACADEMIAE MEDICAE EDINBURGENSIS

PROFESSORIS PUBLICI

ACADEMIAE MEDICAE EDINBURGENSIS

PROFESSORIS PUBLICI

ACADEMIAE MEDICAE EDINBURGENSIS

PROFESSORIS PUBLICI



SOCERO SUO
ROBERTO MOULTON,

ARMIGERO,

VIRO

MULTIS VIRTUTIBUS, QUÆ GENUS HUMANUM EXORNANT,

INSIGNI,

HANC DISPUTATIONEM,

IDONEA OBSERVANTIA,

SACRAT

AUCTOR.

ROBERTO MOULTON

ARRIGEND

LIBRO

LIBRERIA VENTURA, QUE SE ENCONTRA EN EL CENTRO DE LA CIUDAD DE MADRID

EN EL CENTRO DE LA CIUDAD DE MADRID

LIBRERIA VENTURA

LIBRERIA VENTURA

LIBRERIA VENTURA

LIBRERIA VENTURA

CONSANGUINEO OPTIMO

DANIEL STEPHENSON, ARMIGERO,

OB PLURA BENEFICIA ACCEPTA,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

SACRAS VULT

AUCTOR.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b31953293>

DISPUTATIO MEDICA
ADPLENDO
NECNON
VIRIS SPECTATISSIMIS,
GULIELMO JAFFRAY,
ET
ALEXANDRO JAFFRAY,
ARMIGERIS,
PROPTER AMICITIAM IN EUM COLLATAM,
HOC OPUSCULUM,
ANIMO GRATISSIMO,
D. D. C. QUE,
JOANNES HODGES.

NECNON

VIRIS SPETATISSIMIS

GULIELMO JAFFRAY

ET

ALEXANDRO JAFFRAY

ARABICIS

PROPTER AMICITIAM IN EUN COLLEGIAM

HOC OPUSCULUM

AMINO GRATISSIMO

D. D. C. D. C.

JOANNES HODGES

DISPUTATIO MEDICA

QUÆDAM DE

APOPLEXIA SANGUINEA

COMPLECTENS.

AUCTORE JOANNE HODGES.

PROCÆMIUM.

CEREBRUM omnium corporis humani partium jure princeps habetur : et ejus munera sine dubio præpollent. Almus enim rerum parens hoc, sentiendi fontem et metam, et uti existimatur, divinæ particulæ auræ sedem, constituit, et quasi lumen et gubernatorem corpori præfecit. Permagni igitur interest, ut rite et naturæ convenienter sua officia exequatur : qui-

bus scilicet turbatis, non solum cæteræ corporis actiones vitiantur; sed mens ipsa immortalis læditur, et vitæ flamma aliquando subito extinguitur.

De gravissimo hujus visceris morbo, *apoplexia* nempe *sanguinea*, pauca disputare in animo est; qui, ob mores pravos hodiernos quotidie magis increbrescit; et corpora viribus florentia ex improvviso resolvit, aut enecat.

Cullenus præclarus hanc valetudinem ad “Classem, Neuroses,” “Ordinemque Comata,” retulit; et hisce verbis definivit: “Motus voluntarii fere omnes imminuti, cum sopore plus minusve profundo; superstite motu cordis et arteriarum.”

Species complures adjecit: quarum præcipuæ sunt, *Apoplexia Sanguinea*, *Serosa*, *Traumatica*, et *Hydrocephalica*. “Sanguinea,” de qua quædam conscripturus sum, est ea, quæ cerebri vasis plus aequo tumefactis, nec raro ex iis diruptis sanguine intus profuso, contine-

tur. Hæcce præfatus, ad argumentum propositum protinus transibo.

DE SIGNIS.

Morbus, quem prosequor, derepente, nec minus fere celeriter, quam Jovis tonantis ictus, aliquem corripit. Unde Celso aliisque medicis antiquioribus visum est eo ægrotantes *attonitos* nominare : quæ vox idem significat, quod anglicano sermone illæ voces, “ Planet-
“ struck.” Quibusdam equidem ita graviter incidit, ut vix ullis notis prægressis, homo momento temporis obruatur, pauloque exinde pereat. Aliquanto sæpius tamen, *apoplexia* vel incitatissima et miserum absumptura horas aliquot ante perseverat, quam occidit, et indiciis jam memorandis prædicatur.

Quam celerrime concidit æger, se movendi, et sentiendi potestate orbatus : cerebri actio

penitus conquiescit. Facies præter consuetudinem rubescit et turget. Oculi quoque fixi intumescunt; et pupillæ immobiles luci incitatrici non parent. Arteriæ *carotides* vehementius æquo micant; imo vero se submittere et attollere vel inspicienti apparent, etsi hic aliquot passus ægro distet. Caput plus æquo incalet; cor et arteriæ fortius, et tardius, quam fert natura, saliunt. Æger anhelat quoque tarde, difficulter, ut videtur, et alte; perinde quasi nisum violentem ederet; et inter spirandum stertit. Motus omnes interiores, quibus animus non imperat, tardantur. Haud raro, resolutis gulæ fibris, homo devorare nequit. Perit quoque facultas eloquendi. Musculi, quos mens imperio, sanis corporibus, premit, resolvuntur: et potissimum artuum; modo omnes, modo alterutrius lateris. Nec raro, si alterum latus resolvitur, alterum motu abnormi convellitur. Quoties, uno resoluta, alterum integrum sit, os tortum huc inclina-

tur : nimirum, quia fibris motricibus sani lateris non obstat. Pari ratione, si æger hisce malis implicitus, eo convalescat, ut foris exire et ambulare ei liceat, *hemiplegia* equidem imbecillus totum corpus ad sanam partem aliquantum flectit.

Nisi medicus tempestiva ope infelici his signis oppresso succurrere nitatur, proximum est, ut alia diriora accedant, fatum ipsum, citumque, secum allatura. Cuncti nimirum musculi tandem moliri quiescunt. Cor arteriæque motu lento et imbecillo tremunt. Vultus, qui ante purpurascebat, expallescere incipit. Totus homo stupet et hebetatur, nulli incitamento refocillandus. Arteriæ saliunt imparibus intervallis et languide. Ratio et oratio, divina munera, quibus belluino distat humanum genus, abeunt. Urina et stercus, mente ignorante, et solutis fibris, quarum est ea retinere, elabuntur : frigent artus ; et mors lumina clausura, tot tantasque miserias finit.

Si medicus mature et acriter opitulatur, fieri potest ut æger fato eripiatur. Perraro tamen valetudinem integerrimam recipit. Nosse porro juvat, quo quis sæpius in hunc morbum inciderit, eo facilius eum relabi, eoque lentiori pede redintegrari; demum, quantumcunque obnitatur ars medica, vix medicabilem *hemiplegiam* passurum; sibi que et suis oneri futurum.

Quum indicia quædam, homini ipsi sane ejusque familiaribus minus evidentia aut parum observata, medicum artis peritum futuri mali admonent, hæc cognoscantur, summi interest. Præcavere enim facile est; at ipsum morbum illatum penitus arcere, hic labor, hoc opus est. Ei igitur instat *apoplexia*, cui caput dolet, aures sonant, hebetantur sensus, oculi caligant, aut imaginibus inanibus luduntur: cuive palpebra superior resoluta cadit, vultus tumet, et sanguis e naribus profluit. Is quoque sua bona suspecta habere debet, cui di-

giti summi pedum manuumve, aut quivis ex iis, torpent; cuique vox parum distincta editur, artusve vacillant. In præcipiti esse videtur, qui hebes et somniculosus continenter dormire cupit; maximeque, jam accepto cibo. Metuendum enim ne protinus *apoplexia* concidat. Quod ne fiat, statim præsentissimis auxiliis acriter utendum.

DE CAUSIS.

Causæ morborum duplices sunt: *Remotæ*, quæ vocantur; et *Proximæ*, sive *Continentes*. Illæ in *proclivitatibus* genetrices, et *excitantes* apud medicos diducuntur. De quibus brevi sermone disputabo.

Causæ Proclivitatibus. Hæ vero sunt caput grande, senectus, collum breve, corpus pingue et plenum, &c.

Satis innotuit motum sanguinis paulo tardioresse in capite quam alicubi corporis; nec ratio latet. Canales enim sanguini e cerebro reducendo dicati, qui *sinus* vocantur, *chordis tendineis* firmati, minus ad sanguinem a venis exiguis accipiendum valent; valvis porro et fibris irritabilibus vacant; ideoque sanguinem pigro motu ferunt. Quo autem amplius sit caput, eo capaciores esse ejus venas, eoque magis itineri sanguinis obstari, oportet.

Huc accedit, ut quibus caput magnum, iis cervicem breviorē natura fere largita est. Cervix vero brevior eo homines *apoplexiæ* subeundæ aptat, quod facit ut sanguini aditus facilior ad cerebrum pateat. Breve enim collum cor minus capiti distare significat.

Quinetiam, ii sæpe sunt obesi et pleni, qui collis brevioribus instruuntur. Ipsa plenitudo nocet, quippe quæ cerebri venas æquo tumētiores arguit. Huc autem accedit, quod adeps

multa venis colli grandioribus imposita, eas opprimendo, sanguini redituro obnititur.

Qui mediam ætatem transgressi annum quinquagesimum aut sexagesimum expleverint, potius quam pueri aut juvenes huic malo opportuni sunt : id quod venis omnibus circa id ætatis plenioribus et mollioribus tribuendum esse videtur. Resque est notissima *Apoplexiam Sanguineam* cerebri venis, potius quam arteriis tumefactis et disruptis contineri. VINTRINGAMUS jamdudum nos edocuit, cur juventæ arteriæ, senectuti venæ intumescant ; illas scilicet florenti ætati flexiles et molles esse, has duras et rigidas : provectæ vero, illas rigere, has emolliri ; ideoque illas junioribus, has senibus oppleri.

Causæ Excitantes. Pleræque e noxis excitantibus moliuntur *apoplexiam*, aut sanguine ad cerebrum motu citiore impellendo, aut ei reduci occurrendo.

Illuc pertinere videntur ambulatio aut cursus incitator, equitatio, mens perturbata, et alia ejusdem generis.

Moveri, currere, ambulare plurimum sanguinis motum celerat. Hoc docent inter ambulandum vultus rubescens, artus extremi tepefacti anhelitusque et motus cordis et artularum crebriores. Nec ratio minus quam res ipsa, patet. Venæ artuum enim *valvulis* quam creberrimis donatæ, sub motu in tantum opprimuntur musculis, ut sanguis ob valvulas refluendi impotens citius profluere cogatur.

Animi motus incitantes eodem spectant. Ex his ira potissimum huic malo concitando idonea est. Vel leviter irato, concitantur capitis arteriæ: vultus, collum, imo frons ipsa erubescit. Ira igitur effroena exardenti, pleno simul, et annum quadragesimum transgresso, *apoplexia* vix equidem non extemplo accedit.

Pari omnino ratione ebrietas eam molitur. Satietas quoque persæpe ex improvviso facit

ut homo eadem stranguletur; partim toto corpore ciendo: partim vero ventriculo repleto motui fibrarum septi transversi obstante.

Collum ligatum, respiratus altior et longior, *asthma* aliaque pulmonis mala; caput pronum et supinum, et cor ejusve vasa grandia vitiosa, quoniam vetant quo minus sanguini liber reditus a cerebro concedatur, *apoplexiæ* inferendæ habilissima sunt. Denique, quæcunque corpus implere possint, noxæ excitantes potentissimæ sunt: nimirum, ignavia, gula, exinanitio solita repressa, et cutis subito deflorescens. His longo sermone insistere eo nolo, quod aliquæ ex iis *apoplexiæ serosæ* sæpius sunt genetrices.

DE CAUSA CONTINENTE.

Corporibus mortuorum sectis, optime discimus morborum causas continentes; scili-

cet, quæ eos sublatae tollant, mutatae mutant : si quis morbus profecto, quod dubium est, ulla unica causa contineatur.

Notæ omnes morbi propositi, cum ægro adhuc spirante, tum quoque cadavere inciso prodeuntes, cerebro vasa plus æquo turgere denunciant. Nec solum hæc intumescunt, sed persæpe iis diruptis, sanguis intus effusus esse, mortuo homine, conspicitur. Hisce perspectis, non dubitari poterit, quin *apoplexia sanguinea* “ vasis cerebri præter naturam sanguine refertis, et sæpe ruptis ; cerebroque “ exinde oppresso,” contineatur. Solum adjiciam, quod signa morbi jam urgentis, et cerebrum fato defuncti inspectum ostendunt, id rationem medendi idoneam comprobare.

DE DIAGNOSI.

Apoplexia signis tam claris et singularibus notatur, ut non facile eam medicus, aliquanto exercitior, cum aliis morbis miscere aut confundere possit. Quum tamen ars medica præceptis et legibus perpetuis vacat, et ratio corporis, ætatis, &c. morbos aliquando mutat et obscuros reddit, eos quæ *apoplexiæ* simillimi videantur, proferre, et quantum ab ea discrepent, indicare, in animo est.

Epilepsia et ebrietas quadam ex parte morbum, de quo agitur, referunt; at non ægre ab eo discerni poterunt. Velluntur musculi *Epileptico*, *apoplectico* solvuntur. Spiritus, motusque cordis et arteriarum illi citiores, huic tardiores sunt, quam fert natura. Ille porro non stertere, et juvenis esse solet. Nisi igitur huic convellantur musculi unius lateris, quod interdum fieri supra meminimus, plane dubitando locus esse nequit.

Summi est momenti ut ebrius non injuria *apoplexia* stupere habeatur. Quæ enim remedia in ebrietatem, ea nequaquam in hanc valent: his, uti opinor, notis dijudicari poterit. Ebrius minus quam hoc morbo implicitus, stupet; et incitamentis refocillari potest. Pupilla nimirum luce contrahitur. Spiritus porro ebrio graveolet; et anhelitus persæpe sine stertore trahitur.

DE PROGNOSI.

ALIQUIS hoc morbo gravi tentatus, nunquam non in summo discrimine versatur. Si enim nec ejus impetu absumitur, nec *Hemiplegia* exinde resolvitur, nova tamen accessio, priori deterior, metuenda est: et nemo prudens felicem exitum futurum augurari audebit. Eo vero plus minusve periculi subesse statuimus, perspectis ipsis indiciis, ætate corporis indole et viribus.

Si igitur pravis moribus aut senectute contritus laborat ; si eidem articuli *podagra* imbecilli esse solent : Si pupilla admodum patula luci splendidæ minime paret : Si æger graviter stertit, alteque stupet ; si potum et cibos vix devorat, et nervorum distentiones artus exagitant, is servari non poterit. Cerebrum enim latice sanguineve multo intus effuso opprimi constat.

Quinetiam, si malis incrementibus, vultus pallere, et corpus gelido sudore, nec aequali, madere incipit ; si *sphincteres* soluti urinam et stercora elabi sinunt, fatum instare manifestum est.

Contra salvus fieri poterit, cui adolescenti et vegeto *apoplexia* aliquanto mitior adest ; cui, gula nondum resoluta, devorandi facultas non periit ; nec sensus penitus obruuntur ; et sanguis simul e naribus profluit.

Denique, scire licet non semper *apoplectico* sanguinem in cerebro, diruptis venis, effundi ;

sed vasa plena per se hunc morbum gignere posse. Rem ita se habere existimandum, si venis scalpello vacuefactis signa extemplo fugantur nec pupilla luci respondere prorsus recusat. Quod si istis auxiliis parum valentibus, adhuc muscoli resoluti esse perstant, sanguinem intus effluxisse liquet; et sanatio tarda et difficillima fiet.

DE MEDENDI RATIONE.

Duo potissimum consilia totam curationem amplectuntur: hæc vero sunt.

I. Causas excitantes tollere aut evitare.

II. Cerebrum oppressum expedire.

I. Quam celerrime noxæ excitantes, si quæ adsint, subducendæ sunt. Si monilia aut alia ligamenta collum opprimunt, hæc

quam primum exuere oportet. Aëre puro conclave refrigerari debet. Hæc præcipua sunt, quæ accessione jam urgente ad prius consilium pertinentia exequi possumus.

II. Quo cerebrum pressum expediatur, nulla mora, sanguis venis detrahendus est. Nonnulli unam e brachii venis, alii *Jugularem* secare malunt. Quod si satis ampla copia eliciatur, parvi interest, ni fallor, hac aut illa vena percussa, id fiat. Unciæ sexdecim aut viginti recte una vice mittuntur.

Si vires fractæ minus, quam signa postulare videantur, venas vacuefieri sinant, caput hiru-
dinibus impositis aut cucurbitula cum ferra-
mentis deplere licebit, et tutius erit. Sic enim, dum cerebrum liberatur, homo vix infir-
matur.

Proximum est, ut caput ad cutem tondea-
tur, et emplastro *meloës vesicatorii* exulcere-

tur. Quo minus inde difficultas urinæ nascatur, multum liquoris cujusvis glutinosi bibendum; et postridie, sublato emplastro, pars unguento *Juniperi sabinæ* illinenda est, ut ulcus aliquamdiu conservetur. Hoc auxilium valentissimum est: proficit, humores ab interiore capitis parte educendo. Pari ratione opitulantur ulcera pisis unguento *meloës vesicatorii* illitis, aut filo gossipino, cuti infixis, genita.

Hisce rite absolutis, proximum est ut intestina probe depleantur. Ni igitur, gulæ fibris resolutis, æger devorare nequeat, statim alvus medicamento fortiori sumpto solvenda. Convenientissimum est *submurias hydrargyri*, quoties liquores minus facile ingurgitantur; nec enim mole, nec ingrato sapore offendit; et simul violenter alvum movet. Si homo ex facili vorat, sales medii multa aqua liquati, et *infuso cassiæ sennæ* misti, ingerendi. Alvi purgantia duplici ratione auxiliantur: nimi-

rûm, acribus ejiciendis, quæ intus retenta totum corpus incitarent; et arteriis intestini concitandis: quo fit, ut humores huc a cerebro deferantur. Nihil igitur nisi vires contritiæ aut facultas ingurgitandi deleta, recte prohibet, quo minus concedantur. Quod si æger edendi et bibendi impotens hæc assumere non posset, alvus ducenda. Hunc in finem aut *Sulphatis sodæ* unciaë duæ aqua dissolutæ, et *infusi cassiæ sennæ* sesquiuncia mistæ, aut aqua tepida *muriatæ sodæ*, quavis re glutinosa, et oleo *oleæ Europææ* imbuta, recte per alvum injiciuntur.

Quoniam summi est momenti ut vasa capitis quam maxime vacuefiant, hæc auxilia minime omittenda sunt, simul atque æger tutus esse videatur; sed aliquamdiu adhibenda. Pedes aqua tepida lavare, præcipue si frigeant, utile est: et ob causam satis evidentem.

Hæc, ut opinor, sunt omnia remedia ipsi accessioni *apoplexiæ* debellandæ apta. Atta-

men de uno, apud aliquos non parvi habito, me vero iudice, exitiosissimo, prorsus silere nequeo; scilicet, de vomitu.

Hunc nonnulli medicamine cieri jubent, ubi *apoplexia* satietati supervenerit. Aiunt enim ventriculum distentum arteriam grandem opprimere, et ita efficere ut arteriæ superioris partis corporis turgeant.

Haud asserere dubitabo eam curationem perniciosissimam esse, et ejus rationem falsam. Nocet vomitus; nam cor arteriasque ciet, totum corpus quatit, vultum rubefacit, ideoque omnia mala hujus morbi propria intendat, necesse est. Ratio vero istos fefellit; ventriculus enim, quando repletur, sursum et prorsum fertur; et motui septi transversi potius quam arteriæ magnæ obstat; magna porro ex parte satietas ad *apoplexiam* inferendam operam confert, totum genus nervosum stimulando; ob eum consensum mirum, quo concoquendi instrumenta cum cæteris partibus so-

ciantur. Quomodocunque tamen hæc noxa agit, vomendo mala potius intendi manifestum est. Præstat, vita temperate acta remediis non egere, quam istiusmodi auxiliis inniti.

DE PRÆCAVENDO.

Ut supra proposui, non securus existimandus est, qui *apoplexia* liberatus, ad valetudinem, uti videtur, secundam rediit. Summa cura opus est, ne inopinato in eandem, diriorrem sine dubio quam antehac futuram, recidat.

Quo minus aut relabatur jam sanatus, aut corripiatur nondum passus, eam vivendi rationem sequi, iisque medicinæ præsidiiis uti oportet, quæ corpus probe extenuent, nec simul plus justo infirment.

Quod ad auxilia, quæ ars medica pollicetur, siquæ e notis, quas *apoplexiam* venturam indi-

care supra memoravi, urgeant, sanguinem mittere erit medici. At non huic præsidio nimium confidendum. Homo docendus est, sanguinem citissime novari, ni alia accedant. Nosse equidem juvat, quo sæpius alicui venæ exinaniantur, intra certos limites, eo citius hunc repleri, si cibum et potum, ut antea, assumit: quia arteriæ, solito stimulo subducto, languide agunt, ideoque minus secernunt et excernunt. Hirudines et cucurbitulæ statim admovendæ, si signa, de quibus retuli, desiderare videantur. Ulcus rationibus antea dictis alicubi corporis excitandum, et diu ope unguenti *Juniperi sabinæ* aut aliorum ejusdem generis conservandum.

Alvus quotidie descendere debet. Optandum est, ut genere idoneo cibi id fieri posset; nimirum, victu e frugibus, fructibus acidulis. Sin minus, salibus mediis, *Cassia Senna*, aloë, *Submuriate hydrargyri* nitendum.

Apoplexiam subituri sæpe somnolenti, cibo

jam sumpto, somnis se committere solent : quod gravi pernicië non caret. Efficiendum ut homo vigilet interdiu, noctu dormiat. Caput quoque quam maxime erectum esse debet.

Cibus parcus et tenuis præstat; ratione equidem habita prioris vivendi modi, quem aliquis fuerit secutus; vis enim consuetudinis non omni ex parte obliviscenda aut negligenda. A carnibus abstinere, si ob hanc causam id prorsus liceat, oportebit. Cœna parca et levissima foret.

Vinum et omnes potus meraci, quantum fieri possit, abjicienda. Bibenda aut aqua sincera, aut succis fructuum acidulis imbuta. Cerevisia quoque dilutior, et *aqua Supercarbonatis Sodæ*, potui sunt aptissima.

Quoniam ignavia secernenda et excernenda omnia quam maxime reprimat, hæc, uti inimicus infestissimus, fugienda. Si vires et ratio cœli et anni tempestatis sinant, quotidie am-

bulandum, citra sudorem; vel equitandum. Frigus, quum ostia cutis coarctat, eoque ejus halitum supprimit, et humores intus impellit, fugere oportet. Corpus igitur panno laneo, veste intima, tegendum, pruinisque acerbioribus nunquam, si fieri potest, subjiciendum.

FINIS.